

www.e-rara.ch

Pub. Virgilio Maronis Opera

Vergilius Maro, Publius

Amstelaedami, 1730

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 25.944: a

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62960>

Liber II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



P. VIRGILII MARONIS
GEORGICORUM.
 LIBER II.

HActenus arborum cultus, & fidera cœli:
 Nunc te, Bacche, canam: nec non sylvestria
 tecum

Virgulta, & prolem tarde crescentis olivæ.

Huc, pater ô Lenæ, (tuis hic omnia plena
 Muneribus: tibi pampineo gravidus autumnò

Floret ager: spumat plenis vindemia labris)

Huc, pater ô Lenæ, veni, nudataque musto

Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.

Principio arboribus varia est natura creandis:

Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ 10

Sponte sua veniunt, camposque, & flumina late

Curva tenent: ut molle filer, lentæque genestæ,

Populus, & glauca canentia fronde salicta.

Pars autem posito surgunt de semine: ut altæ

Castaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet 15

Æsculus, atque habitæ Grajis oracula quercus.

Tullulat ab radice aliis densissima sylva:

Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnasia laurus
 Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.
 Nos natura modos primum dedit: his genus omne 20
 Silvarum, fruticumque viret, nemorumque sacrorum.
 Sunt alii, quos ipse via sibi repperit, usus.
 Hic plantas tenero abscondens corpore matrum,
 Deposuit sulcis: hic stirpes obruit arvo,
 Quadrifidasque fudes, & acuto robore vallos: 25
 Sylvarumque alix pressos propaginis arcus
 Exspectant, & viva sua plantaria terra.
 Nil radicis egent alix, summumque putator
 Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
 Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu) 30
 Truditur e sicco radix oleagina ligno:
 Et sæpe alterius ramos impune videmus
 Vertere in alterius, mutatamque insita mala
 Ferre pirum, & prunis lapidosa rubescere corna.
 Quare agite, ô, proprios generatim discite cultus, 35
 Agricola, fructusque feros mollite colendo:
 Neu segnes jaceant terræ. Juvat Ismara Baccho
 Conferere, atque olea magnum vestire Taburnum.
 Tuque ades, inceptumque una decurre laborem
 O decus, ô famæ merito pars maxima nostræ, 40
 Mæcenæ, pelagoque volans da vela parenti.
 Non ego cuncta meis amplecti versibus opto:
 Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,

Ferrea vox. Ades, & primi lege litoris oram,
 In manibus terræ. Non hic te carmine ficto, 45
 Atque per ambages, & longa exorsa tenebo.
 Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
 Infœcunda quidem, sed læta, & fortia surgunt:
 Quippe solo natura subest: tamen hæc quoque si quis,
 Inferat aut serobibus mandet murata subactis, 50
 Experint sylvestrem animum; cultuque frequenti,
 In quascunque voces artes, haud tarda sequentur.
 Nec non & sterilis, quæ stirpibus exit ab imis,
 Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
 Nunc altæ frondes, & rami matris opacant, 55
 Crescentique adimunt foetus, uruntque ferentem.
 Jam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
 Tarda venit, seris factura nepotibus umbram.
 Pomaque degenerant succos oblita priores:
 Et turpis avibus prædam fert uva racemos. 60
 Scilicet omnibus est labor impendendus, & omnes
 Cogendæ in fulcum, ac multa mercede domandæ.
 Sed truncis oleæ melius, propagine vites,
 Respondent; solido Paphiæ de robore myrtus;
 Plantis & duræ coryli nascuntur; & ingens 65
 Fraxinus; Herculeæque arbos umbrosa coronæ;
 Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
 Nascitur, & casus abies visura marinos.
 Inscritur vero ex foetu nûcis arbutus horrida:

Et steriles platani malos gessere valentis; 70.
 Castaneæ fagos: ornusque incanuit albo
 Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
 Nec modus inferere, atque oculos imponere, simplex:
 Nam qua se medio trudent de cortice gemmæ,
 Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso 75.
 Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
 Includunt, udoque docent inolefcere libro.
 Aut rursus enodes trunci refecantur, & alte
 Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
 Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens so-
 Exiit ad cælum ramis felicibus arbor,
 Miraturque novas frondis, & non sua poma.
 Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
 Nec salici, lotoque, nec Idæis cyparissis.
 Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ 85.
 Orchades, & radii, & amara pæusia bacca,
 Pomaque, & Alcinoi sylvæ: nec furculus idem
 Crustumis, Syriisque pyris, gravibusque volemis.
 Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
 Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos. 90.
 Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ:
 Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
 Et passo Pnythia utilior, tenuisque Lageos,
 Tentatura pedes olim, vincturaque linguam:
 Purpureæ, præciæque; & quo te carmine dicam, 95.

Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.
 Sunt etiam Amineæ vites, firmissima vina;
 Tmolius assurgit quibus, & rex ipse Phanaus,
 Argitisque minor; cui non certaverit ulla,
 Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos. 100
 Non ego te, DIs & mensis accepta secundis,
 Transferim, Rhodia, & tumidis, Bumaste, racemis.
 Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,
 Est numerus: neque enim numero comprehendere refert:
 Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem 105
 Discere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ:
 Aut, ubi navigiis violentior incidit Euris,
 Nossè, quot Ionii veniant ad littora fluctus.
 Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt:
 Fluminibus salices, crassisque paludibus alni 110
 Nascuntur; steriles saxosis montibus orni:
 Littora myrtetis lætissima: denique apertos
 Bacchus amat collis: Aquilonem, & frigora taxî.
 Aspice & extremis domitum cultoribus orbem,
 Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos. 115
 Divisæ arboribus patriæ, sola India nigrum
 Fert ebum: folis est thurea virga Sabæis.
 Quid tibi odorato referam sudantia ligno
 Balsamaque, & baccas semper frondentis acanthi?
 Quid nemora Æthiopum molli canentia lana? 120
 Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?

Aut

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
 Extremi finus orbis? ubi aëra vincere summum
 Arboris, haud ullæ jactu potuere sagittæ:
 Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris. 125
 Media fert tristis succos, tardumque saporem
 Felicis mali: quo non præsentius ullum,
 Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
 Miscueruntque herbas, & non innoxia verba,
 Auxilium venit, ac membris agit atra venena. 130
 Ipsa ingens arbor, faciemque simillima lauro:
 Et, si non alium late jactaret odorem,
 Laurus erat. Folia haud ullis labentia ventis:
 Flos ad prima tenax. Animas, & olentia Medi
 Ora sovent illo, & senibus medicantur anhelis. 135
 Sed neque Medorum silvæ, ditissima terra,
 Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
 Laudibus Italiae certent: non Bactra, neque Indi,
 Totaque thuriferis Panchaïa pinguis arenis.
 Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem 140
 Invertere, fatis immanis dentibus Hydri;
 Nec galeis, densisque virum seges horruit hastis:
 Sed gravidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
 Implevere: tenent oleæ, armentaque læta.
 Hinc bellator equus campo sese arduus infert; 145
 Hinc alibi, Clitumne, greges, & maxima taurus
 Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,

Roma-

Romanos ad templa Deum duxere triumphos,
 Hic ver assiduum, atque alienis mensibus ætas :
 Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor. 150
 At rabidæ tigres absunt, & fava leonum
 Semina; nec miseros fallunt aconita legentis :
 Nec rapit immensos orbis per humum, neque tanto
 Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
 Adde tot egregias urbes, operumque laborem, 155
 Tot congesta manu præruptis oppida faxis,
 Fluminaque antiquos subter labentia muros.
 An mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra?
 An ne lacus tantos? te, Lari maxime, teque
 Fluctibus & fremitu adsurgens, Benace, 'marino? 160
 An memorem portus, Lucrinoque addita claustra;
 Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
 Julia qua Ponto longe sonat unda refuso,
 Tyrrenusque fretis immittitur æstus Avernis?
 Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla 165
 Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
 Hæc genus acre virum, Marfos, pubemque Sabellam,
 Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
 Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
 Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæsar, 170
 Qui nunc, extremis Asiæ jam victor in oris,
 Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
 Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,

Magna virum: tibi res antiquæ laudis & artis
 Ingredior, sanctos ausus recludere fontis, 175
 Ascraumque cano Romana per oppida carmen.
 Nunc locus arborum ingeniis: quæ robora cuique,
 Quis color, & quæ sit rebus natura ferendis.
 Difficiles primum terræ, collesque maligni,
 Tenuis ubi argilla, & dumosis calculus arvis, 180
 Palladia gaudent sylva vivacis olivæ.
 Indicio est, tractu surgens oleaster eodem
 Plurimus, & frati baccis sylvestribus agri.
 At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
 Quique frequens herbis & fertilis ubere campus, 185
 Qualem sæpe cava montis convalle solemus.
 Dispicere, huc summis liquuntur rupibus amnes,
 Felicemque trahunt limum; quique editus Austro,
 Et silicem curvis invisam poscit aratris:
 Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes 190
 Sufficiet Baccho vitis; hic fertilis uvæ,
 Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
 Inflavit cum pinguis ebur Tyrrenus ad aras,
 Lancibus & pandis fumantia reddimus extra.
 Sin armenta magis studium vitulosque tueri, 195
 Aut fœtus ovium, aut urentis culta capellas:
 Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti,
 Et qualem infelix amisit Mantua campum,
 Pascentem niveos herboso flumine cycnos.

Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt :
 Et quantum longis carpent armenta diebus, 201
 Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
 Nigra fere, & presso pinguis sub vomere terra,
 Et cui putre solum, (namque hoc imitamur arando)
 Optima frumentis : non ullo ex æquore cernes 205
 Plura domum tardis decedere plaustra iuvenis :
 Aut unde iratus silvam devexit arator,
 Et nemora evertit multos ignava per annos,
 Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
 Eruit : illa altum nidis petiere relictis. 210
 At rudis enituit impulso vomere campus.
 Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris
 Vix humilis apibus casias roremque ministrat :
 Et tophus scaber, & nigris exesa chelydris
 Creta, negant alios æque serpentibus agros 215
 Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras.
 Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosque volucris ;
 Et bibit humorem, & cum vult, ex se ipsa remittit :
 Quæque suo viridi semper se gramine vestit ;
 Nec scabie, & salsa lædit rubigine ferrum : 220
 Illa tibi latis intexit vitibus ulmos :
 Illa ferax oleo est : illam experiere colendo
 Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.
 Talem dives arat Capua, & vicina Vesuvo
 Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris. 225

Nunc.

Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
 Rara sit, an supra morem si densa, requiras :
 Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho :
 Densa magis Cereri, rarissima quæque Lyæo
 Ante locum capies oculis, alteque jubebis 230
 In solido puteum demitti, omnemque repones
 Rursus humum, & pedibus summas æquabis arenas :
 Si deerunt, rarum, pecorique & vitibus almis
 Aptius uber erit : sin in sua posse negabunt
 Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis ; 235
 Spissus ager : glebas cunctantes, crassaque terga
 Exspecta, & validis terram proscinde juvencis.
 Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
 Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
 Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat) 240
 Tale dabit specimen : tu spisso vimine qualos
 Cola que prælorum fumosis diripe testis.
 Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undæ
 Ad plenum calcentur : aqua eluctabitur omnis
 Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ ; 245
 At sapor indicium faciet manifestus, & ora
 Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
 Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
 Discimus : haud unquam manibus jactata fatiscit,
 Sed picis in morem, ad digitos lentescit habendo. 250
 Humida majores herbas alit, ipsaque justo

Lætior. ah! nimium ne sit mihi fertilis illa,
 Neu se prævalidam primis ostendat aristis.
 Quæ gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
 Quæque levis. Promptum est oculis prædiscere ni-
 gram, 255

Et quis cui color: at sceleratum exquirere frigus
 Difficile est: piceæ tantum taxique nocentes
 Interdum, aut edera pandunt vestigia nigra.
 His animadversis, terram multo ante memento
 Excoquere, & magnos scrobibus concidere mon-
 tis: 260

Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas,
 Quam latum infodias vitis genus. Optima putri
 Arva solo: id venti curant, gelidæque pruina,
 Et labefacta movens robustus jugera fossor.
 At, si quos haud ulla viros vigilantia fugit; 265
 Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
 Arboribus seges, & quo mox digesta feratur,
 Mutatam ignorent subito ne femina matrem.
 Quin etiam cæli regionem in cortice signant:
 Ut, quo quæque modo steterit, qua parte calores 270
 Austrinos tulerit, quæ terga obverterit Axi,
 Restituant. Adeo in teneris consuescere multum est.
 Collibus, an plano melius sit ponere vitem,
 Quære prius: si pinguis agros metabere campi;
 Denâ sere: in densò non segnior ubere Bacchus. 275
 Sina.

Sin tumulis adclive solum, colleſque ſupinos;
 Indulge ordinibus: nec ſecius omnis in unguem
 Arboribus poſitis ſeſto via limite quadrat.
 Ut ſæpe ingenti bello cum longa cohortes
 Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto, 280
 Directæque acies, ac late fluctuat omnis
 Ære renidenti tellus, nec dum horrida miſcent
 Prælia, ſed dubius mediis Mars errat in armis.
 Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum:
 Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem; 285
 Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
 Terra, neque in vacuum poterunt ſe extendere rami.
 Forſitan, & ſcrobibus quæ ſint ſaſtigia, quæras:
 Auſim vel tenui virem committere ſulco.
 Altior ac penitus terræ deſigitur arbos, 290
 Æſculus imprimis: quæ quantum vertice ad auras
 Æthereas, tantum radice in Tartara tendit.
 Ergo non hiemes illam, non ſabra, neque imbres
 Convellunt: immota manet, multoſque per annos
 Multa virum volvens durando ſæcula vincit. 295
 Tum fortis late ramos, & brachia tendens
 Huc illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet umbram.
 Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem:
 Neve inter vites corulum ſere: neve flagella
 Summa pete, aut ſumma deſtringe ex arbore plantas:
 (Tantus amor terræ) neu ferro læde reuſo 301
 Se-

Semina: neve oleæ sylvestres infere truncos.
 Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
 Qui furtim pingui primum sub cortice testus
 Robora comprehendit, frondesque elapsus in altas 305
 Ingentem cælo sonitum dedit: inde secutus
 Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
 Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
 Ad cælum picea crassus caligine nubem:
 Præsertim si tempestas a vertice silvis 310
 Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
 Hoc ubi, non a stirpe valent, cæsq; reverti
 Possunt, atque ima similes revirescere terra:
 Infelix superat foliis oleaster amaris.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat au-
 ctor, 315
 Tellurem Borea rigidam spirante moveri.
 Rura gelu tum claudit hiems: nec semine jacto
 Concretam patitur radicem affigere terræ.
 Optima vinetis satio, cum vere rubenti
 Candida venit avis, longis invisâ colubris. 320
 Prima vel autumnî sub frigora, cum rapidus Sol
 Nondum hiemem contingit equis, jam præterit æstas.
 Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis:
 Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
 Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther 325
 Conjugis in gremium lætæ descendit; & omnes

Magnus alit, magno commistus corpore, foetus.
 Avia tum resonant avibus virgulta canoris;
 Et Venerem certis repetunt armenta diebus:
 Parturit almus ager; Zephyrique tepentibus auris 330
 Laxant arva finus: superat tener omnibus humor;
 Inque novos soles audent se gramina tuto
 Credere: nec metuit surgentes pampinus Austros,
 Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem:
 Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnis. 335
 Non alios prima crescentis origine mundi
 Influxisse dies, aliumve habuisse tenorem
 Crediderim: ver illud erat: ver magnus agebat
 Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri:
 Cum primæ lucem pecudes hausere, virumque 340
 Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
 Immisissæque feræ sylvis, & sidera cælo.
 Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
 Si non tanta quies iret frigusque caloremque
 Inter, & exciperet cæli indulgentia terras. 345
 Quod superest, quæcunque premes virgulta per agros,
 Sparge fimo pingui, & multa memor occulle terra:
 Aut lapidem bibulum, aut squalentis infode conchas;
 Inter enim labentur aquæ tenuisque subibit 349
 Halitus, atque animos tollent fata: jamque reperti,
 Qui saxo super, atque ingentis pondere testæ
 Urguerent: hoc effusos munimen ad imbris:

Hoc,

Hoc, ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.
 Seminibus positis, superest deducere terram
 Sæpius ad capita, & duros jactare bidentis: 355
 Aut presso exercere solum sub vomere, & ipsa
 Flectere luctantes inter vineta juvencos.
 Tum levis calamos, & rasæ hastilia virgæ,
 Fraxineasque aptare fudes, furcasque bicornis:
 Viribus eniti quarum, & contemnere ventos 360
 Assuecant, summasque sequi tabulata per ulmos.
 Ac, dum prima novis adolescit frondibus ætas,
 Parcendum teneris: & dum se lætus ad auras
 Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
 Ipsa acies nondum falcis tentanda, sed uncis 365
 Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
 Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
 Exierint, tunc stringe comas, tunc brachia tonde:
 Ante reformidant ferrum: tunc denique dura
 Exerce imperia, & ramos compeſce fluentis. 370
 Texendæ sepes etiam, & pecus omne tenendum:
 Præcipue dum frons tenera, imprudensque laborum:
 Cui, super indignas hiemes, solemque potentem,
 Silvestres uri assidue, capræque sequaces
 Includunt: pascuntur oves avidæque juvencæ. 375
 Frigora nec tantum cana concreta pruina,
 Aut gravis incumbens scopulis arentibus ætas,
 Quantum illi nocuere greges, durique venenum

Dentis, & admorfo signata in stirpe cicatrix.
 Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris 380
 Caeditur, & veteres ineunt profcena ludi:
 Praemiaque ingeniis pagos & compita circum
 Thesidae pofuere: atque inter pocula lacti
 Mollibus in pratis unctos faluere per utres:
 Nec non Aufonii, Troja gens miffa, coloni 385
 Verfibus incomptis ludunt, rifuque foluto,
 Oraque corticibus fumunt horrenda cavatis:
 Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibi que
 Oscilla ex altâ fufpendunt mollia pinu:
 Hinc omnis largo pubefcit vinea foetu: 390
 Complentur vallesque cavae, faltusque profundi,
 Et quoeunque Deus circum caput egit honeftum.
 Ergo ritè fuum Baccho dicemus honorem
 Carminibus patriis, lancefque & liba feremus,
 Et duftus cornu ftabit facer hircus ad aram, 395
 Pinguiaque in veribus torrebimus exta columnis.
 Eft etiam ille labor curandis vitibus alter,
 Cui nunquam exhausti fatif eft: namque omne quot-
 annis
 Terque quaterque folum fcindendum: glebaque verfif
 Aeternum frangenda bidentibus: omne levandum 400
 Fronde nemus: redit agricolis labor actus in orbem,
 Atque in fe fua per veftigia volvitur annus.
 Et jam olim feras pofuit cum vinea frondif,

Frigidus & filvis Aquilo decussit honorem ;
 Jam tum acer curas venientem extendit in annum
 Rusticus , & curvo Saturni dente relictam 406
 Persequitur vitem attondens , fingitque putando .
 Primus humum fodito , primus devectora cremato
 Sarmenta , & vallos primus sub testa referto :
 Postremus metito : bis vitibus ingruit umbra : 410
 Bis segetem densis obducunt sentibus herbae .
 Durus uterque labor . Laudato ingentia rura :
 Exiguum colito . Nec non etiam aspera rufci
 Vimina per silvam , & ripis fluvialis arundo
 Caeditur , incultique exercet cura salicū . 415
 Jam vincitæ vites : jam falcem arbuta reponunt :
 Jam canit extremos effectus vinitor antes .
 Sollicitanda tamen tellus , pulvisque movendus ,
 Et jam maturis metuendus Juppiter uvis .
 Contra non ulla est oleis cultura : neque illae 420
 Procurvam exspectant falcem , rastrosque tenaces ,
 Cum semel hæserunt arvis , aurasque tulerunt .
 Ipsa satis tellus , cum dente recluditur unco ,
 Sufficit humorem , & gravidas , cum vomere , fruges .
 Hoc pinguem , & placitam Paci nutritor olivam . 425
 Poma quoque , ut primum truncos sensere valentis ,
 Et vires habuere suas , ad sidera raptim
 Vi propria nituntur , opisque haud indiga nostrae .
 Nec minus interea foetu nemus omne gravescit ,

Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis : 430
 Tondentur cytisi : taedas silva alta ministrat :
 Pascunturque ignes nocturni, & lumina fundunt.
 Et dubitant homines serere, atque impendere curam?
 Quid majora sequar? salices, humilesque genestae,
 Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbras 435
 Sufficiunt : sepemque fatis, & pabula melli,
 Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,
 Naryciaeque picis lucos : juvat arva videre
 Non rastrois hominum, non ulli obnoxia curae.
 Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae, 440
 Quas animosi Euri, assidue franguntque, feruntque,
 Dant alios aliae foetus : dant utile lignum
 Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.
 Hinc radios trivère rotis, hinc tympana plaustris
 Agricolae, & pandas ratibus posuere carinas. 445
 Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi :
 At myrtus validis hastilibus, & bona bello
 Cornus : Itryaeos taxi torquentur in arcus.
 Nec tiliae leves, aut torno rasile buxum,
 Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto. 450
 Nec non & torrentem undam levis innatat alnus
 Missa Pado : nec non & apes examina condunt,
 Corricibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.
 Quid memorandum aequae Baccheia dona tulerunt?
 Bacchus & ad culpam causas dedit : ille furentis 455

Centauros letho domuit, Rhætumque, Pholumque,
Et magno Hylaeum Lapithis craterem minantem.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolae! quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus. 460

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam;
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Inlusaque auro vestes, Ephyreïaque aera;
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno, 465

Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
At secunda quies, & nescia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque bouum, mollesque sub arbore somni 470

Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum, exiguoque assueta juvenus,
Sacra Deum, sanctique patres: extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musae, 475

Quarum sacra fero, ingenti percussus amore,
Accipiant; caelique vias & sidera monstrant:
Defectus Solis varios, Lunaeque labores:

Unde tremor terris: qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant: 480

Quid tantum Oceano properent se tingere Soles

Hiber-

Hiberni; vel quae tardis mora noctibus obftet,
 Sin, has ne possim naturae accedere partes,
 Frigidus obfiterit circum praecordia sanguis;
 Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes; 485
 Flumina amem, silvasque inglorius: ô, ubi campi,
 Spercheosque, & virginibus bacchata Lacaenis
 Taygeta! ô, qui me gelidis in vallibus Haemi
 Siftat, & ingenti ramorum protegat umbra!
 Felix, qui potuit rerum cognoscere causas, 490
 Atque metus omnis & inexorabile fatum
 Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
 Fortunatus & ille Deos qui novit agrestis,
 Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores.
 Illum non populi fascēs, non purpura regum 495
 Flexit, & infidos agitans discordia fratres;
 Aut conjurato descendens Dacus ab Istro:
 Non res Romanae, perituraque regna: neque ille,
 Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
 Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura 500
 Sponte tulere sua, carpfit: nec ferrea jura,
 Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
 Sollicitant alii remis freta caeca; ruuntque
 In ferrum, penetrant aulas, & limina regum;
 Hic petit excidiis urbem, miserisque Penatis, 505
 Ut gemma bibat, & Sarrano indormiat ostro;
 Condit opes alius, defossoque incubat auro.

Hic stupet attonitus Roftris; hunc plaufus hiantem
 Per cuneos (geminatus enim) plebisque Patrumque
 Corripuit; gaudent perfusi fanguine fratrum, 510
 Exfilioque domos, & dulcia limina mutant,
 Atque alio patriam quaerunt sub fole jacentem.
 Agricola incurvo terram dimovit aratro:
 Hinc anni labor: hinc patriam parvosque nepotes
 Suffinet: hinc armenta bouum, meritosque juvencos, 515
 Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
 Aut foetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
 Proventuque oneret fulcos, atque horrea vincat.
 Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapezis;
 Glande fues laeti redeunt; dant arbuta filvae; 520
 Et varios ponit foetus autumnus; & alte
 Mitis in apricis coquitur vindemia faxis.
 Interea dulces pendent circum oscula nati:
 Casta pudicitiam fervat domus; ubera vaccae
 Lactea demittunt; pinguesque in gramine laeto, 525
 Inter fe adverfis luctantur cornibus haedi.
 Ipse dies agitat feftos: fufusque per herbam,
 Ignis ubi in medio, & focii cratera coronant,
 Te libans, Lenaeae, vocat: pecorisque magiftris
 Velocis jaculi certamina ponit in ulmo: 530
 Corporaque agreftri nudant praedura palaefta.
 Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
 Hanc Remus, & frater: fic fortis Etruria crevit:

Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
 Septemque una sibi muro circumdedit arces. 535
 Ante etiam sceptrum Dictaei regis, & ante
 Impia quam caesis gens est epulata juvencis,
 Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
 Necdum etiam audierant inflari classica; necdum
 Inpositos duris crepitare incudibus enses. 540
 Sed nos inmensum spatii confecimus aequor;
 Et jam tempus equum fumantia solvere colla,

